

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Fermentvm.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

238 DIALOG. SACRORVM

CHANANÆA. Matth. 15. Marc. 7.

ARGUMENTVM.

Jesus a Chananaæa exoratus, ejus filiam
liberat a furia.

Chananaæa, Discipuli, Jesus.

Miserere mei, o tu Davidide: filiam habeo,
quæ furiis misere agitur. Heu me infe-
licem, ne respondere quidem dignatur. Obse-
cro te etiam atque etiam, miserere mei, respice
me, utere tua in me clementia & mansuetudine.
D. Absolve eam, quæsumus! clamore nos obtun-
dit. **J.** Non sum missus, nisi ad oves perditas
domus Israelis. **C.** Domine, subveni mihi.
J. Sine primum futurari liberos: neque enim
convenit, liberorum panem objicere catellis.
C. Etiam sane: & tamen catelli quoque come-
dunt de micis liberorum, quæ decidunt de
mensa dominorum suorum. **J.** O mulier,
magna est tua fides. Obtineto sane quod vis.
Et propter istud dictum abi læta: nam furia emi-
gravit e tua filia.

SENTENTIA.

*Christus exorabilis est etiam iis, quos maxime
videtur excludere. Fide Christus expugnatur.*

F E R M E N T V M. Matth. 16.

Marc. 8.

ARGUMENTVM.

*Jesus discipulorum dissidentiam & tardi-
tatem;*



tatem arguit, qui, quod ipse de fermento spirituali dixerat, intelligebant de carnali.

Iesus, Discipuli.

Cavete vobis diligenter a fermento Phariseorum & Sadducæorum, tum etiam Herodis. *Dis.* Hoc dicit, quia panes non accepimus. *Iesus,* Quid vobiscum cogitatis, diffidentes, pares a vobis esse omissos? ^{a)} adeone cœci animo estis? adeone sensum omnem amisistis, ut nihil intelligatis, neque vobis veniat in mentem illorum quinque panum, quos in quinque hominum milia dispertivi? quot enim corbes frustis refertas abstulisti? *D.* Duodecim. *J.* Quid, cum septem panes in duodecim millia dissecui, quot canistrorum frusta abstulisti? *D.* Septem. *J.* Qui fit, ut non intelligatis, me non de pane loqui, dum jubeo vitari fermentum Phariseorum & Sadducæorum?

SENTENTIA.

Dicta Christi spiritualia interdum secundum carnem interpretantur etiam Christiani. Hominem a carne ad spiritum traducere est difficile. Diffidentia ex homine, quamvis pio. ægre petlitur.

C L A V I G E R. Matth. 16. Marc. 8.

Luc. 9.

ARGUMENTVM.

Jesus discipulos sciscitatus, quænam esset homi-

^{a)} Adeone ignoratis, posse me, si sit opus, cibum vobis suppeditare, sicut ante feci.